

BOHEMIA.

BOHEMIA, Germaniæ portio est, Aquilonis flatibus tota fermè exposita. Cuius ad Orientem vergens latus Moravi obtinent, & Slesitarum natio, Septentrionem iidem Slesij ac Saxones, qui & Misnenses & Thuringi appellantur. Ad Occidentem Aduocatorum (*Voitlandia* vulgo) terra est, Boiariorumque Regio. Meridionalem plagam tum Boiarij, tum Australes habent, qui ripas Danubij vtrasque accolunt, nec alia Bohemiæ quàm Theutonum terra coniungitur. Sylua vniuersam claudit, quam veteres Hercyniam vocauère, cuius & Græci scriptores & Latini meminère. Flumina quæ terram irrigant, vniuersa in Albim exonerantur. Hic in montibus exoriens, qui Bohemiam Slesiamque disterminant, mediam fermè Prouinciam perlabitur: primò in Occidentem, deinde in Septentrionem versus, vbi Prouinciam relinquens, per angustias montium & abrupta conuallium præceps Saxoniam petit; quam duas in partes dirimens, in Oceanum fertur; vbique à Rheno flumine æquo terrarum spacio distans. Amnes alij, quos Bohemi memorant, Orlioze, quod Aquilam signat; Egra, qui ex nomine Oppidi quod alluit, vocatur, in terra Aduocatorum exoriens, apud Litomericiam Albi miscetur: sed cunctos Multauiam excedit, qui Metropolim Regni Pragam influit; hic Saczaniam, & Lusmicium, & Misam, & Albim secum trahit. Oppida toto Regno memorabilia, Praga; Regi, Pontificique, honesta sedes; neque minor neque ignobilior Etrusca Florentia, treis in partes diuisa; quis nomina indidère, paruam Pragam, veterem, ac nouam. Parua sinistrum latus Multauiæ fluminis occupat; collique coniungitur: in quo sita est Regia, ac S. Viti Pontificale Augustumque templum. Vetus Praga in plano iacet, vniuersa magnificis operibus adornata. Iungitur autem minori Pragæ lapideo ponte, quatuor & viginti arcuum. Nouam ciuitatem à veteri fossa disiungit profunda, vtrinque munita muro, & in quam facile fluminis aqua deriuari potest. Post Pragam Litemesce, altera Pontificalis ciuitas, vicina Morauis. Cuthna quoque haud parui nominis habetur: vbi argenti venæ. Nec Buduicum contemnere oportet. Habet etiam nomen Slagenwerdium, vtraque Broda, Budinge, Colonia, Litomericium, &c. gelida prorsus Regio, pisce, atque armentis abundans, cum volucre ferisque frumenti ferax. Cicera pro vino vititur, illi Ceruisiam vocant. Ager toto Regno optimus. Vinum quod nascitur acerbum, ditiores ex Austria atque Hungaria importato vtuntur. Sermo genti & Dalmatis vnus. Mos vetus in hanc vsque diem seruetur, in templis sermone Theutonico, in cœmeteriis Bohemico plebs docetur. Solis Mendicantibus libertas fuit qua vellent lingua populum instruere. Plebs toto Regno bibula, & ventri dedita. Quoties Cretense vinum Caupones venale proponunt, inuenies quàm plures, qui iuramento adacti, nunquam cellam vinariam egredientur, nisi exhausto dolio. Nobilitas gloriæ appetens, belli perita. &c. Hæc sumpsimus ex Æneæ Syluij historia Bohemica. Plura habes apud Munsterum, Rithaymerum, & Sabellicum Ænn. 10. lib. 2., & Alb. Crantium in descrip. Wandalia. De huius Regionis incolis, vnde venerint, & antiquis eorum sedibus, lege Mart. Cromerum lib. 1. hist. Polonica. Idem citat cuiusdam Dubrauij Olomucensis Episcopi Bohemicam historiam, quam nos non vidimus. Pragam huius Regni Urbem primariam descripsit Georg. Handschius. Hanc typicam descriptionem sumpsimus ex Tabula Iohannis Crigingeri, Pragæ An. 1568. ædita.



REGNI
BOHEMIAE
DESCRIPTIO.

Bohemie
longitudo
latitudo

latitudo, pini par. nam rotundam faciem de circa mactentibus montibus accipit, cuius diametri tria un. decem itinere deperditio abfoluitur: quoru mon. cum que ad Septentrionalem plagam vergunt Sulete appellantur, ardui sane ac precipites, ubi Gabriva fluv. ingem d'ceditur, qui montes cum alio Danubio p'cedim vide. Elb. fl. se' proripit in coronam coeunt, quos vndiq. profundissima nemora latif. fini occupant: Merxina enim fluv. universa Bohemiam comprehendi.

Scala miliarium

